

à mense Nisan, sed certis suis nominibus e Chaldaea allatis insignie-  
 bantur, ut etiam ex libro Maccabæorum constat, Maccab. VII, 43, &  
 computus annorum non ab egressu ex Ægypto sed imperio Alexandri  
 instituebatur: ita planè nullum sabbatum ab illo sacro, quem vocant,  
 anno fuisse denominatum, quam assertionem autoritate verborum  
 R. Bechai confirmat, ex quibus apparet, quod in memoriam li-  
 berationis ex captivitate Babyl. illud factum sit, cum primus nu-  
 merus annorum institutus esset in memoriam egressus ex Ægypto.  
 Quo ipso probationes à B. Schmidio §. 28. adhibitæ non amplius  
 stringunt. B. Frischmubr. igitur optimum censet cap. 2. § 1. & 6. cum  
 Josepho Scaligero, Müllerero multisq; aliis Scaligerũ secutis doctiss. Viris  
 per Sabbatum δευτερόπρωτον intelligere Sabbatum hebdomadale  
 proximum vel primum à secundo Paschatis die sive δὴ τῆς δευ-  
 τερεῆς πρῶτον. Secundus enim Paschatis dies valdè memorabilis  
 est, quia illo Omer vel manipulus spicarum DEO offerebatur, &  
 ab illo numerari incipiebantur 50. dies ad Pentecosten, vid. Lev. XXIII,  
 9. -- 18. Deut. XVI, 9. Ceterum ut recte annotat Grotius ad Luc.  
 VI, 1, traxit quidem multos in assensum magni viri (Scaligeri) au-  
 toritas; ast non desunt, quæ aliud persuadere queant. Quoniam enim,  
 nisi necessariæ rationes aliæ contrarium doceant, ad ipsam vocis  
 naturam respiciendum est, facilè apparet, δευτερόπρωτον latinè  
 significare alterum primum vel primarium, sicut per Deuteronomion  
 indicatur lex à DEO iterato repetita, non inferioris dignitatis ac  
 primum lata. Conf. B. Chemnitius Harm. cap. 45, p. 349. Indicatur  
 itaque voce ista vel ultimus festi dies, quæ sententia est receptissi-  
 ma monente B. Chemnit. l. c, vel si id non placet; quia Sabbati no-  
 men etiam absolute diei nostro tribuitur in eodem contextu v. 5,  
 quod ita positum sine terminis alienantibus Sabbatum hebdoma-  
 dale indicat, & per vocem δευτερόπρωτον in nostro versu certam  
 tantum determinationem accipit, cum ultimus festi dies Sabba-  
 tum potius ἕξατον vocandus videatur, qui, æque ut primus  
 dies majorem accipiebat dignitatem, si Sabbatum hebdomadale  
 in illum incideret, vid. Job. VII, 37: ipsum potius Sabbatum  
 hebdomadale intelligendum est, quod tunc, quando primus &  
 ultimus sive septimus festi Paschatis dies alio quam Sabbati heb-  
 domadalis